Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



arbor cognoscitur. Progenies uiperarum quomodo potestis bona loqui cum sitis mali. Ex habundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Et malus homo de malo thesauro cordis sui mala profert mala. Dico autem uobis quoniam omne uerbum otiosum quod locuti fuerint homines reddent rationem in die iudicii. Ex uerbis enim tuis iustificaberis. Et ex uerbis tuis condemnaberis. Tunc responderunt ei quidam de scribis et phariseis dicentes. Magister uolumus a te signum uidere. Qui respondens ait illis. Generatio mala et adultera signum quaerit. Et signum non dabitur ei nisi signum ionae prophetae. Sicut fuit ionas in uentre ceti tribus diebus et tribus noctibus. Ita erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. Uiri ninuitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam quia paenitentiam egerunt in praedicatione ionae. Et ecce plus quam ionas hic. Regina austri surget in iudicio cum generatione ista et condemnabit eam quia uenit a finibus terrae audire sapientiam salomonis. Et ecce plus quam salomon hic. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida quaerens requiem et non inuenit. Tunc dicit. Reuertar in domum meam unde exiui. Et ueniens inuenit eam uacantem scopis mundatam et ornatam. Tunc uadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se et ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora priioribus. Sic erit et generationi huic pessimae. Adhuc eo loquente ad turbas. Ecce mater eius et fratres stabant quaerentes loqui ei. Dixit autem ei quidam. Ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes te. At ipse respondens dicenti sibi ait. Quae est mater mea et qui sunt fratres mei. Et extendens manum in discipulos dixit. Ecce mater mea et fratres mei. Quicumque enim fecerit uoluntatem patris mei qui in caelis est ipse meus frater soror et mater est.

XIIII

In illo die. Exiens iesus de domo sedebat secus mare et congregatae sunt ad eum turbae multae ita ut in nauiculam ascendens sederet et omnis turba stabat in litore. Et locutus est eis multa in parabolis dicens. Exiit qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat. Quaedam ceciderunt secus uiam et ~~uenerunt secus uiam~~ et uenerunt uolucres caeli et comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa ubi non habebant terram multam et continuo exorta sunt quia non habebant altitudinem terrae. Sole autem orto exaestuauerunt et quia non habebant radi

201